c. 3739.
1.

Oratio Anniversaria

IN

Amphitheatro *Cutleriano*

Habita,

Coràm Disertissimo Domino, Domino Edvardo Brown, Præside Collegij Medicorum *Londinensium* insignissimo, aliisque Facultatis Medicæ eruditissimis Collegis.

Recitata

A Gualtero Harris M. D. ejusdem Collegij Electore et Socio.

Die festo Sancti *Lucæ*, Medicorum Sanctissimi, qui à Corpore medendo ad Animam medicinâ immortali instruendam Translatus est. Dieque 18. Octobris. Anno 1707.

LONDINI,

Apud *G. Freeman* ad insigne Bibliorum adversùs portam Medij Templi, in vico *Fleet-street*.

BRITISH MUSEUM
SALE DUPLICATE
1787.

Illuſtriſſimo ac Celſiſſimo Domino,

Sidneio Comiti de *Godolphin*,

Nobiliſſimi Ordinis Periſcelidis Equiti;

Sacræ Majeſtati *ANNÆ* Reginarum Maximæ ab arcanis ſecretioribuſque Conſiliis;

Summo MAGNÆ BRITANNIÆ Theſaurario:

Adminiſtratori rerum publicarum ſapientiſſimo, vigilantiſſimoque.

Viro, ſiquis alius,
Mirando ingenii acumine,
Suaviſſimis moribus,
Fide integrâ,
Juſtitiâ incorruptâ,
Beneficentiâ universâ,
Prudentiâ conſummatâ,
Virtutibus omnibus
ornatiſſimo:

Hoc Obſervantiæ ſummæ indicium,
Gratitudinis qualecunque teſtimonium,

Humillimè offert,

Gualterus Harris.

Illuſtriſſimo ac Celſiſſimo Domino,

Sidneio Comiti de Feversham,

Nobiliſſimi Ordinis Periſcelidis Equiti;

Sacræ Majeſtati AUGUSTÆ Regnantium Navium Archi-Thalamiæ Lectoribuſque Admiſſionis;

Summo MAGNÆ BRITANNIÆ Præfecto:

Adminiſtratori rerum publicarum ſapientiſſimo.

Vano, fugax alite,
Mirando lugenti acumine,
Sæviſſimis moribus,
Fide integra,
Juſtitiâ incorrupta,
Beneficentiâ univerſi,
Prudentiâ ſecularium,
Virtutibus omnibus
ornatiſſimo:

Hoc Obſervantiæ Summæ Indicium,
Gratitudinis quaſcunque teſtimonium,

Humillimè offert,

Gualterus Harris.

Præclariſſime

PRÆSES,

Eruditiſſimi Collegæ,

Aliique Auditores humaniſſimi.

COmitia hæc inſtituit quotannis habenda vir inſignis, pollenſque dignitate Dominus, *Balduinus Hamey*, Collegii hujus nuper ſocius ornatiſſimus, duas potiſſimùm ob rationes; ut nempè Facultatis Medicæ, cujus fælicitatem ſtatumque ſemper florentiſſimum magnoperè exoptabat, præ aliis omnibus Artibus excellentia illinc quadantenùs eluceret; utque virorum Munificorum, qui in hoc Collegium beneficia notatu digna contulerunt, laudes meritàque anniverſariis commemorationibus prædicarentur.

Quod ad Artem Medicam attinet, quæ ſcientiarum omnium encyclopædiam complectitur, quid generi humano poteſt eſſe gratius, quid utilius, quid Magnificentius, propè dixeram quid Divinius, quàm morbos propulſare, jacentes excitare, doloribus excruciatos acerbiſſimis liberare, ægrèque affectis auxilia opportuna ferre? Certè ſiquæ Artium aut ſcien-

tiarum ſit maximè omnium digna, et veneratione Populi, et Optimatum favore, et Magiſtratûs tutelâ, ac denique Regum potentiſſimorum benevolentiâ, patrocinio, conceſſiſque Privilegiis, Ars illa alias facilè tranſcendet, et gratiam dignitatemque ſuperiorem meritò vendicabit, quam utilitas ſumma et neceſſitas ipſa eximiè commendant, cujus præcepta vel ſanis omnibus ad Præſervandum perutilia, infirmis ad Curandum maximè neceſſaria, et ſine cujus ope tempeſtivâ neque ampliſſima rerum copia vitam ægrotantium tantillùm permulcere poteſt, neque Honores ſummi animum componere inquietum, neque dapes conquiſitiſſimæ in appetentiâ dejectâ oblectare. Ars eſt *Medica*, quam gentes omnes humaniores ſemper coluerunt, feræ barbaræque nunquam vilificârunt, et cui univerſæ aut ratione ductæ, aut experientiâ, ſaltem Empyricâ, fretæ plurimum tribuerunt. Ars ea eſt, quæ prima omnium, ab exordio rerum, caput extulit tùm ordine tùm dignitate. Nam quicquid aliter ſentiunt aut invidi, aut etiam doctorum nonnulli, ab *Apolline*, *Æſculapio*, *Hermete Triſmegiſto*, aut alio neſcio quo inventore primo ejus originem ducentes, *Medicina* proculdubiò fuit Artium omnium Antiquiſſima; fuit, inquam, morbis ipſis, vulneribus, ulceribus, aut luxationibus oſſium, hoc eſt, ipſi imbecillitati humanæ coæva. Siquidem Auream illam Ætatem Chimæricamque de quâ Poetæ multa aliquando ſomniârunt, et in quâ *improbitas* omnis tam rara fuit atque *admirabilis*, conſtanter ego affirmo nuſquam extitiſſe niſi in terrâ aliquâ incognitâ, niſi in cerebro quorundam Poetico inanium commentorum pleno ; utcunque in eâ re me turpiter falli ego multùm exultarem. Adeò ſemper convixiſſe nebulones cum viris probis, ſceleratos unà

cum

cum bonis, ſcortatores cum pudicis, irriſores cum viris gravibus, prorſùs ego exiſtimo.

Et quanquam *Plinius*, vir præclarè literatus, atque indefeſſâ ſedulitate celebris, ſed naturalis Hiſtoriæ ſcriptor nimis credulus, qui ex mediocri cognitione facultatum Medicamentorum ſimplicium Medicaſter quidam factus eſt, et propterèa acer peritis Medicis inimicus, ut ſunt in omnibus ſæculis Malevoli, tàm inter Doctos quàm ignaros, qui alienos ſplendores ægrè ferunt ; *Plinius*, inquam, impotenti ſtudio laboravit, ut lectoribus ſuis perſuaderet, Romanos terrarum longè latéque Dominos per multa ſæcula ferè ſine Medicis valetudinis ſuæ rationem habuiſſe, quòdque inferius hominum genus ſcientiam medicinalem inſtar ſordidæ alicujus artis apud eos exercuerit ; hujuſmodi tamen dicta, aut potiùs contumelias ab illo effutiri patet, eâ maximè gratiâ, quò Collectanea ſua naturalia, ſive ſimplicium Medicamentorum uberem ſuam farraginem, non modò ex Autoribus idoneis, ſed et multis diu deperditis, ac fide admodùm indignis, magnâ induſtriâ excerptam, meliùs venditaret. Nam liquidò conſtat, neque *Romanos* belligeros, neque molles *Aſiaticos*, neque quodcunque hominum genus ſine auxiliis Medicis aut fuiſſe, aut eſſe unquam poſſe. Etenim temporibus illis antiquis Ars Medica non fuit partitim diviſa (quemadmodùm hodie quidem fit, et à quingentis retrò annis comparatum eſt) in tres diſtinctas adeòque cognatas Artes, ut unius culpa in alterius vituperium converti, Caputque plecti ob Manuum imperitiam denuò poſſit ; ſed Medicus, Chirurgus, et Pharmacopœus, unus idemque artifex fuerunt, idemque amicè ſentiebant. An verò ægrorum quæſtûs aut emolumenti, an medentium

dentium otii aut commoditatis, an ignaviæ eorundem aut ſuperbiæ gratiâ, iſta Medicinæ Anatomia quædam priùs effecta fuerit, nunc equidem non diſceptabo. Sed hoc *Plinio*, amarulentisque aliis concedendum eſt, ubicunque nulla apud populum fuit intemperantia, ubicunque nulla aeris inclementia, nullæ bellorum clades, nullæ oſſium fracturæ aut luxationes, nulli denique contracti ſunt morbi, in illis haud dubiè regionibus prorsùs exulârunt, tàm Scientia Medica, quàm Ars Chirurgica et Pharmaceutica.

Vt verò clariùs innoteſcat, an Vulgus hominum, velut eidem *Plinio* placuit, hanc Artem Nobilem Liberalemque exercuerit; ſeu potiùs an miſerabiles decoctores, circumforanei illiterati, aniliumque ineptiarum ſectatores, ſint doctis medicis annumerandi: perpendatur paululùm, quàm univerſa eruditio, quàm liberalis à puero inſtitutio, quanta rerum Naturalium cognitio, quantus rei domeſticæ ſumptus, quot plerumque peregrinationes, quanta in rebus Anatomicis peritia, in Phyſiologicis ſubtilitas, aut in Chymicis Pharmaceuticiſque experientia, ad Medicum ritè perficiendum, ornandumque aut requirantur, aut in uſu ſemper fuerint. Certè doctrina Medicinalis, quam à *Græcis* autoribus, et maximè ab *Hippocrate* accepimus, neque infrà *Romanum* faſtum fuit, neque tempore *Veſpaſiani*, quo *Plinius* vixit, in oblivionem prorſùs abiit aut contemptum.

Hactenùs Antiquitatem Medicinæ, aut maximè neceſſarium ejus Uſum, paucis complexi ſumus. De Dignitate ejuſdem liceat etiam paucis vos alloqui, nec ubertate orationis, pro materiæ Dignitate, vos diutiùs detinere.

Non

Non hîc glorioſè oſtentabo potentiſſimos quondam Reges, Principes, Nobileſque alios, qui aut rem Medicam exercere, aut ſcripto eandem tractare ipſi ſunt dignati, aut qui ergà Nobilem hanc Facultatem animos habuêre multum propenſos ac benevolos. Non Magnus Rex *Mithridates*, non *Sabor* Rex *Medorum*, non *Evax Arabum*, non Principes *Avicenna* ac *Meſue*, aliique Natalibus ſuis perilluſtres, jam nobis erunt reſonandi. Nam ſi dignitatem Artis ab exercentis eam Dignitate libeat æſtimare; Rex Regum, Dominus Dominantium, *Deuſque* Optimus Maximus, cùm in hoc mundo omnium tùm in cælis verſantium, non modò Facultatem Medicam præ aliis ipſe ornavit, mirumque in modum illuſtravit, ſed et Miſericordiam ſuam immenſam in reſtituendâ ægrotantibus omnigenis ſanitate imprimis collocavit.

Res ipſa igitur loquatur, Medicinalem eſſe Artium quarumcunque principem, primariam, atque Nobiliſſimam. Nam in quantum corpus humanum animatum, aut ſanabile, quod proprium eſt Medicinæ Subjectum, domicilio omni ſive ligneo, ſive ſaxeo, in uſum hominum conſtructo antecellit, tantò Ars medendi Architectonicen ſuperat, quantò animal ſonorum ſonis illicò pereuntibus, et cantor cantationibus, tantò in Muſicis ſolertiæ Ars Medica præferenda eſt; et quantò umbræ Corpus ipſum, aut Anima inanimatis præſtat, tantò Pictoriæ eadem videtur præponenda. Et ſic de reliquis breviter judicandum eſt.

Memoriæ proditum eſt *Æſculapium*, eò quòd Artem Medicam rudem adhuc et imperfectam excoleret, perfectioremque redderet, non quòd mortuos ad vitam, ut ferunt, arte ſuâ revocaret, poſt mortem ſuam in cœlos fuiſſe relatum, cultui Divino deſti-

natum, evectumque in turbam illam Deorum promiſcuam, quorum numero fuerunt aſcripti non modò Heroes inſigneſque nonnulli viri, qui ob inventa ſua utilia, aut beneficia, de genere humano optimè meruerunt, ſed et mœchi impuri, fures, inhumani, temulenti, aut aliter flagitioſi, è ſedibus lucidis ac cæleſtibus ad infernas tenebras depellendi, et ad pœnas ſceleratorum propter crimina aut turpitudines meritiſſimè damnandi.

Sed miſſis fictionibus his ridiculis, Numineque Divino perquam indignis, ad magis ſeria, ſcituque digniora revertamus.

De ſtatu Medicinæ ante *Hippocratem* ceu inquirere, ceu diſſerere, tàm inane erit quàm difficile. Quin et Hiſtoriographi, qui de Regibus, regnorumque adminiſtrationibus tractare ſolent, eâdem notitiarum antiquiſſimarum inopiâ, quâ nos in Medicis, quamplurimùm laborant, Nec longinquæ iſtæ diſquiſitiones in res obſoletas, ſive eæ ſint, quænam Medicamenta vetulis diu præteritis fuerint magis popularia, ſive quâ potiſſimùm praxi Medici primævi, ante ortum bonarum literarum, uti elegerint; ejuſmodi, inquam, Diſquiſitiones non videntur cognitu digniores, quàm anilium fabularum inepta revocatio.

Veruntamen apud ſæcula longè noſtris priora clarè effulſit Sapientia Medica. Neque doctarum hujus ſæculi lucubrationum ſplendori caliginem offundi arbitror, ſi pro certo aſſeveremus, theſauros ſcientiæ Medicæ minimé contemnendos ex autoribus antiquis eſſe eruendos, ſicut metalla maximè pretioſa ex imis et recónditis terræ viſceribus ſunt effodienda. Sed nihil jam dicam de *Galeno*, Medicorum illo *Ciceróne*, gloriâque ſempiternâ. *Ætium*, *Aretæum*, *Oribaſium*, *Trallianum*, *Æginetam* præteribo.

Celſum

Celſum etiam, *Latinum* illum *Hippocratem*, tàm linguæ Romanæ puritate ſummâ, quàm Doctrinâ Medicâ eximium brevitatis cauſâ prætermittam. Miſſum inſuper facio vel *Cælium Aurelianum*, Medicum apprimè eruditum, quo vix quiſquam latentes morborum cauſas majore inveſtigavit ſagacitate, accuratiùs exquiſitiùſque explicavit, nemo tutiùs fæliciùſque extirpavit. *Hippocratem* tamen Magnum ſilentio tranſire nequeo. Etenim ſi Oraculum Medicum conſulere exoptetis, *Hippocratem* ſæpiſſimè conſulite. Si multum in parvo, ſive ſapientiam ſummam Medicam, paucis admodum concluſam, ediſcere cupiatis, Aphoriſmos ejus iterùm iterùmque perlegite, neque opera perdetur, ſi memoriter eoſdem retineatis. Si morbos verè cognoſcere, naturalibus ſuis ſymptomatis, variiſque modis afficiendi, ad vivum delineatos; ſi diagnoſin illorum accuratam expiſcari; ſi eventus morborum futuros, ſive tutos, ſive ancipites, ſive lethales, prænuntiare; ſi denique eoſdem Curare deſideretis, hunc Autorem imprimis conſulite, qui ſapientiâ quâdam propè Divinâ præditus, Peſtem ipſam omnium morborum acutorum maximè exitialem, ſalutaribus ſuis remediis è *Græciâ* propulſare potuit, et qui diſcipulos ſuos ut idem facerent benignè inſtruebat; adeò ut *Athenienſes* ipſi, doctiſſimi quidem, at omnium *Græcarum* Rerumpublicarum in Benefactores ſuos, Patriæque liberatores, maximè ingrati, *Hippocratem* ob merita ſua egregia in Theatro publico aureâ coronâ dignarentur donare, honoreſque illi eoſdem quos *Herculi* decernerent,

Poſt magna illa nomina priùs recenſita, quid amplius de *Arabibus* dicendum reſtat, niſi quòd *Arabia* Aromatis ſuis Balſamiſque pretioſiſſimis non

fuerit

fuerit nuncupanda Fælicior, quàm Medicorum ſuorum clariſſimorum fragrantiſſimâ memoriâ. Nempè *Avicenna*, *Meſue*, *Averrhoes*, *Rhaſis*, *Avenzoar*, *Haliabbas*, aliique aut Nobilitate ſummâ, aut etiam Doctrinâ inclareſcentes, tantam undique famam, tàmque diuturnam, apud *Arabes* conſecuti ſunt, tantamque eorum admirationem indigenis ad hæc uſque tempora reliquerunt, ut nuſquam per totum terrarum orbem Medici (qualeſcunque nunc ſunt aut qualitercunque doctrinam Medicam ſcriptores *Arabici* priùs tradebant) veneratione majore, nullibi cultu honoreque ampliori, quàm in *Arabiâ*, etiamnùm excipiantur; quod à viro non vulgari, autoritate magnâ pollenti, fideque admodùm digno, qui in regionibus Orientalibus multos tranſegit annos, equidem accepi. Tantùm ſcilicet effectum apud ignaros, æquè ac ſcientes, facilè peperit majorum præclarorum virtus, aut rei Medicæ ſumma Utilitas.

Quapropter ſi in regionibus barbaris, incultis, illiteratiſque, tanta obſequia et obſervantiæ omnibus ſuis Medicis, ſive propter Artis præcellentiam, ſive propter merita diuturna priorum illorum Medicorum, hiſce temporibus adhuc reddantur; non mirum eſt Collegium hoc celeberrimum ſociis compluribus Collegiſque aliis doctiſſimis peritiſſimiſque longè latèque cognitis ſemper illuſtratum, Privilegiis multis à Regibus ſenatibuſque ſuperioribus noſtris donari, poteſtatibus ornari, immunitatibuſque cohoneſtari.

Quòd ſi Poteſtatibus noſtris aliquid adhuc addendum jubere liceret, aut optare, quod generi humano foret maximè ſalutiferum, et ad ſcientiam Medicam promovendam inſigniter ſpectaret, per me poteſtas

poteſtas Cenſoribus concederetur, Empiricos quoſlibet pariter atque Medicos ad libitum coràm ſe arceſſendi et coercendi (ſi fama eorum increbuit propter Arcanum aliquod populare) ut bonâ fide Arcani illius proceſſum, utendique methodum, religioſè dicerent; idque in tabulas Regeſtarii ſub reſtrictionibus idoneis fideliter referetur.

Sed dolendum eſt diſſentiones quaſdam nuperas et imprudentes tàm illuſtris ſocietatis ſplendorem aliquamdiu obſcurâſſe, quâ quidem tempeſtate furor quidam Publicus graſſatus eſt, omneſque ferè nationes per totam *Europam* belli ſtudio concuſſit; ut proindè Collegii poteſtates jamdiu legibus ſtabilitæ non leve nuper acceperint detrimentum, an ignominiam dixerim, (proh pudor!) *in ſupremo Regni Concilio*; quod ante iſtas altercationes doctiſſimæ huic ſocietati fuit ſemper propitium, et nunquam ejus juribus adverſum repugnabat.

Veruntamen nunc temporis gratiæ immortales Numino Divino ſunt reddendæ, quòd penitùs pacatæ ſint, ut bené ſperamus, illæ noſtræ commotiones; tranquillitas communis rurſùm regnet; Convivia ad tempus intermiſſa, ſtatutis licèt imperata, ad mutuam ſociorum alendam benevolentiam, denuò concelebremus; et denique quòd concordiâ priſtinâ conglutinemur. Et gratias Tibi, inſigniſſime Præſes, particulares nos omnes imprimis debemus, quòd ſub tuis auſpiciis, prudentiâ ſingulari, mitique moderamine, Fœdus novum ineamus, aut potiùs diu priùs ſtabilitum redintegremus. Ad ſtatuta igitur vetera conſervanda, quorum obſervatione ſacrâ Collegium hoc diu floruit viguitque, uno omnium conſenſu alacres redeamus. Ad ſtatuta, inquam, quorum prudentiam ſummam conſultiſſi-

 mamque

mamque nemo malevolorum audet palàm incusare, quantumlibet clanculùm odisse possit, utpotè quali obtrectatori nullus ordo, nulla disciplina unquam placuit, aut placere potest. Ad statuta denique, quæ vel attentè perlegere sine maximâ eorum admiratione, cuiquam Probo sive docto sive indocto planè impossibile est. Itaque non opus est cohortationibus vos incitare, aut argumentis uti, quò statuta hæc consummatissima in posterum omnibus libentiùs observentur, cùm officii ipsius ratio, decorum, institutio, honestas, justitia, cùm denique *Fides* Collegio data idem omnibus inclamitent.

Antequam hæc concludo, rursùm gratulari vobis universis oportet, spectatissimi Collegæ, Concordiam nostram recentem Fæliciter consummatam, speramusque diu permansuram et stabilitum iri, eò quòd concilietur anno temporeque maximè omnium opportuno ; anno scilicet quo *Unio* passim resonat, carminibus multis celebratur, et in quam oculi oraque omnium sunt unicè conversa; anno quo Consilia publica Pacifica, in Senatu Populoque nostro, quasi regnârunt et prædominata sunt ; anno denique quo *Nationes Britannicæ*, eâdem licet insulâ semper conjunctæ, tamen affectibus animorum, juribus, dominiisque diversis, per multa sæcula hactenùs divisæ, nunc sub auspiciis *Annæ* Reginarum Maximæ, Sapientissimæ, omniumque Fæliciſſimæ, in unum idemque Regnum coaluerunt.

Sed ab eulogiis Medicinæ, quæ tenuitatem meam multò transcendunt, non verò voluntatem meam propensam ac benevolentiam, ad ipsos Medicos, alioſque magnificos viros, huic Collegio beneficos, omniumque sæculorum futurorum gratâ digniſſimos memoriâ, jam transeat oratio.

Incepit Collegium hoc celeberrimum ſtabiliri per *Litteras Patentes* dictas à Rege magno ac *metuendiſſimo*, ut perhibent Litteræ, *Henrico* octavo primùm conceſſas, et paulò pòſt ab Ordinibus Regni ſummis confirmatas. *Apprimè neceſſariam duxerunt* Supremæ Poteſtates ſtabilitam Collegij autoritatem *ad improborum hominum audaciam compeſcendam, qui medicinam magis avaritiæ ſuæ cauſâ quàm ullius bonæ conſcientiæ fiduciâ profitebantur, undè rudi et credulæ plebi plurima incommoda oriebantur*, ſicut in *Litteris* illis *Patentibus* abundè relatum eſt. Accidit verò, inter rerum humanarum miras viciſſitudines, ut res præclaræ nonnunquam gerantur ſub auſpiciis Principum, quorum memoriam poſteri minimè conſecrare ſolent, quorumque durante dominatione populus valdè infælix redditur, multiſque malis graviſſimè opprimitur. Hujusque dicti ſit teſtis locupletiſſimus *Ludovicus* decimus quartus, præſentis ſæculi Magnus ille Perturbator, ſub cujus imperio deſpotico nunquam bonæ literæ omnis generis dignitate illuſtriore floruerunt, nunquam benè merentes in quâlibet arte, cùm manuariâ tùm Liberali, æquè ac re Militari, præmiis amplioribus ſunt condecorati; cæterùm ſub nemine ante illum imperanti totus orbis *Chriſtianus* magis ingemuit, nullius regno populus ipſe *Gallicus* ad inopiam calamitateſque majores fuit redactus; quantumcunque ſuas res geſtas inſolenter jactet, quantumcunque nimiam Regis magnitudinem ſerviliter crepet. An igitur docti illius Regis, *Fideique Defenſoris* primi, ſolummodò propenſæ in doctos voluntati, aut ſuo magnificentiſſimo Literatorum Patrocinio, quod, in honorem *Henrici* ſempiternum, Medicorum, Hiſtoricorum, Oratorum noſtrorum monumentis nunquam eſt prætermittendum; an etiam *Linacri* doctiſſimi,

simi, Medicique sui Primarii supplicationibus tanti collatio beneficii potissimè debeatur, utcunque dubium fortè fuerit, certè tùm potentissimo *Henrico* propter tantum nobis beneficium maximarum gratiarum Recognitio debetur perpetua, tùm *Linacro* eruditissimo grata semper recordatio.

Si doctrinam *Linacri* æstimare libeat, videamus quid scripserit de illo *Erasmus*, doctrinæ cùm *Græcæ* tùm *Romanæ* maximè idoneus judex, qui in pluribus Epistolis eum summis laudibus cohonestavit, sed in quâdam *Ambrosio Leoni*, Medico insigni conscriptâ, hanc habuit sententiam: *Est apud Britannos vir undiquaque doctissimus; Thomas Linacrus. Prodiit in lucem* (*operâ ejus*) *Galenus* περὶ τῶν Ὑγιεινῶν, sive de sanitate tuendâ (ut et aliàs idem de Methodo medendi &c.) *tantâ fide, tantâ luce, tanto Romani sermonis nitore redditus, ut nihil usquam desideret lector Latinus. Imò nihil non meliùs reperiet, quàm apud Græcos habeatur.* Idem vir doctus, in honorem Collegii, fuit primus ejus Præses, primusque omnium Benefactorum, qui quamdiu viveret, Comitia habuit in Ædibus suis, quas in eosdem usus moriens majoribus nostris largitus est. Nec modò ardor ejus beneficus Collegio suo limitabatur, sed utramque Academiam, fertilissima illa omnigenæ eruditionis seminaria, Maximamque *Magnæ Britanniæ* Gloriam, benignè illustravit. Nempè duabus Prælectionibus publicis *Oxoniensem*, Medicâ pariter ac *Græcâ*, *Cantabrigiensem* alterâ, ad juventutem instituendam, ornavit et locupletavit.

Linacrum brevi secutus est vir egregius, munificusque, Dominus *Caldwallus*, societatis hujus collega, qui, illustrissimo *Barone Lumleio* in sociam operam haud gravatim adscito, Prælectionem Chirurgicam

nobis

nobis inſtituit, ſalarioque accommodo condecoravit.

Aliam Prælectionem, ſcilicet Pathologicam inſtituit clariſſimus Dominus *Theodorus Gulſtonus*, alterum hujus Societatis ornamentum. Sed utcunque hæc *Prælectionum* inſtituta, ſive apud nos, ſive alibi, laudabilia ſint, memoriâque honorabili perquam digna, tamen multò dolendum eſt, ea finem propoſitum, uſumque deſignatum haud fuiſſe aſſecuta; cùm tanta ſedulitas, tàmque indefeſſa undique ſtudia pecuniis corradendis unicè impendantur, ut vix ulla à negotiis fructuoſis reſtet vacatio quantumvis doctis *Prælectionibus*. Et niſi hoc nimis verum eſſet, quis credere poſſit, illuſtris illius *Thomæ Greſhami* Militis, qui opportunâ ſuâ prudentique apud *Genuenſes* Legatione invaſionem *Hiſpanicam*, *Angliæ* improviſò minitantem, in annum ſequentem procraſtinabat, ut proindè tempus idoneum apparatui bellico inſtruendo, claſſique hoſtili *Invincibili* dictæ deinceps expugnandæ auſpicatò miniſtraretur; quis, inquam, crederet inclytiſſimi *Greſhami* optimè deſtinatas in diverſis Artibus aut Facultatibus Prælectiones, propè in centro Urbis Maximæ, frequentiſſimæ et florentiſſimæ, atque in Collegio ſuo curioſis diſquiſitionibus jampridem dicato, nullos Auditores habere poſſe, præter ſurdos parietes, et ſubſellia pariter ſurda, aut etiam unum alterumve abſurdum Auditorem è plebeculâ illiteratâ, novitate rei potiùs, quàm diſcendi cupidine, eò forſitan adductum.

Quinetiam inter principes hujus Collegii Benefactores, ab *Henrico* octavo, cum honore ſummo ſunt nominandæ Sereniſſimæ ſorores Regiæ, *Mariæ* et *Elizabetha*, *Jacobus* et *Carolus* pariter uterque (de quibus Annales multa) qui privilegia primùm nobis conceſſa Autoritate ſupremâ rata habuerunt,

aliisque novis libentissimè auxerunt. Atverò post tot nobis immunitates, amplasque coercendi Empiricos potestates, à Regibus Reginisque nostris, Senatibusque prudentissimis olim sancitas, quis jam possit existimare, nullo regno aut republicâ, nullâ ubivis urbe, nullo totius *Europæ* angulo misello, quàm *Londini*, majorem hodiè licentiam impunè occidendi, sive Populum leviculum, sive Optimates venerabiles, agyrtis, vetulis, circumforaneis imperitis, medicastris omnis generis, aut demùm extraneis ignotisque Collegio Medicis, à praxi intrà urbem, septemque ejus milliaria, licet lege prohibitis, aut incuriâ nostrâ contingere, aut per fas et nefas permitti, aut quomodocunque tolerari? *Londini*, inquam, ubi Aula Thronusque excelsus *Regum Britannicorum* conspiciuntur; ubi Ordines Regni summi ad consultandum frequenter conveniunt; ubi leges conduntur, gravamina corriguntur, curiæque habentur; ubi Nobiles totius Regni per magnam anni partem, eamque valetudini maximè adversam, solent versari; ubi emporium immensum, omnium rerum abundantia, turba hominum est frequentissima; utinamque possim falsò dicere, ubi algens Virtus postponitur Nummis.

An hæ omnes considerationes, sive animadversiones, apud Magistratum vilescere debent ac contemni? An tot tantaque breviter recensita nullam vobis intestinam indignationem commovent, nullum fremitum exuscitant? An nimis fortiter se defendit numerus, sive ubique scatens Empyricorum colluvies? An inanis vobis, aut *Herculeus* quidam labor est, horrendæ hujus *Hydræ* aliquot nonnunquam capita, citò quidem repullulantia, rigore legum amputare? An prælonga, nimisque sumptuosa litium determinatio, pejus habetur remedium quam iste morbus? An

degener

degener hoc ſæculum venerabilem togam pariter ac togatos, omneſque diſciplinas clementes vi et armis furentibus jam longè poſtponit? aut denique hæc enormis ætas à majorum noſtrorum virtutibus priſtinis deſciſcens, bonas literas, ingenuaſque artes nunc minùs colit, quàm res novas aut nugatorias, quàm fabellas, ludos, aut ſcenica ſpectacula.

Sed his jam poſthabitis redeamus ad præclaros illos viros, quorum memoria nunquam huic Collegio, nè futuris quidem ullis excidet ſæculis; attamen qui nunc potius enumerandi, quàm pro ratione acceptorum beneficiorum ſunt nobis concelebrandi.

Nam ſi *Harveium* ſolum dignè commemorarem, oratio hæc facilè in volumen grande dilataretur. Hic fuit, qui primus omnium doctis ſuis diſquiſitionibus non minùs mundum literarium obſtupefecit, circuitum ſanguinis animalium, fluxumque ejus perennem ac refluxum planè demonſtrando; quàm novo orbe primùm perſpecto accenſit principes longinquarum acceſſionum cupidos inſignis ille *Columbus*. Hic fuit qui, poſt Senaculum, Muſæum, et Bibliothecam magnificam, ſuis expenſis in uſum hujus Collegii extructa, flammiſque eiſdem quibus tanta Urbs conflagrata nuper fuit combuſta, minimè deterritus ab incepto, adeò conſtans in benefaciendo ad extremum permanſit, ut ſenex, vivens, ultròque, ſcripto ſe obſtringens, in Comitiis majoribus, Collegium Paterni ſui Patrimonij, reditûs annui luculenti, hæredem conſtitueret.

Harveio quamprimùm ſucceſſit, eâdem animi magnitudine, *Hamæus*, vir quidem optimus, integerrimus, et beneficentiſſimus. Temporibus nuperis iniquiſſimis, cùm perditi homines ſanctimoniâ velati ad clavum Reipublicæ ſederent, omniaque honeſta

neſta ac lucroſa ſurſùm deorſùmque verterent; cùmque Ædes hujus Collegii, eò quòd *Collegium* fuerit, emptoribus exponerentur; *Hamæus* indignatione commotus, atque ardore quodam inſolito incitatus, ſuo impulſu, ac ſine cujusquam alterius conſilio, eas præſenti ſuâ pecuniâ redimebat, ut inexpectatò, eóque lætiùs gratiùſque Societati ſuæ dilectiſſimæ reſtitueret. Rurſùm paulò poſteà, cùm conflagratio communis easdem Ædes deleviſſet, Ædificiumque illud magnificum (procul abſit eo Invidia, excedat illinc, abigatur, Expellatur, et ad Inferos ſuos profugiat, nunquam inter Medicos iſtinc reverſura) conſociato Collegarum ſumptu ſplendidè extrueretur, idem ille *Hamæus* totum ejus inteſtinum opus (quod quàm nobile, quam ornatum, quàm ſe dignum!) ſuis expenſis elegantiſſimè inſtruebat, tandemque Collegium ſibi ſemper dilectiſſimum duobus amplis prædiis in *Eſſexiâ* poſitis, teſtamento ſuo cumulabat.

Quàm fraternus verò tunc temporis mutuuſque fuerit Societatis hujus affectus, quàm magnanimus ardor pectora Collegarum plerorumque omnium impleverit, facilè conſtabit, ſi in memoriam revocemus, bis mille et quingentas libras monetæ Anglicæ à Collegis, ad ædes Collegii combuſtas reædificandas, unâ eademque die ultrò ſubſcribi. Atque hujus veritatis teſtem oculatum appello teipſum, inſigniſſime Præſes, qui unus olim fuiſti egregiorum illorum ſubſignatorum; et qui non modò antecellis eximiâ erùditione perpolitus, doctiſque tuis ſcriptis Peregrinationum in juventute tuâ ſuſceptarum diu inclaruiſti, ſed et in praclaris occaſionibus eſſe ſoles nulli ſecundus.

Porrò ſi de *Joannis Cutleri* Baronetti laudibus ſilerem, hi parietes, vel hæc ſubſellia loquerentur, totumque hoc *Amphitheatrum* à ſe magnificè extructum

tructum ſilentium meum exprobraret; aut ſaltem ſtatua ejus in ſublimi erecta, ſi poſſibile, vociferaretur. Huic magno viro parcimoniam objiciant, aut etiam avaritiam, ſi ita placet, invidi ac malevoli; ſed ſciant tales, cæterique omnes, hunc munificum præclarumque virum, per multos annos, dum viveret, mille libras Anglicas quibuſdam fiduciariis, notæ probitatis, eximiiſque viris conſignâſſe, ut easdam egenorum uſibus ſuo arbitrio quotannis largirentur; ſciantque præterea hunc eundem *Cutlerum*, dum in vivis eſſet, alias trecentas aut quadringentas libras indigentibus ipſum ambabus ſuis manibus annuatim erogâſſe. Quæ quidem ego accepi à viris veracibus, minimèque vulgaribus, quibus hæc *Cutleri* geſta, aut potiùs Arcana, fuerunt penitùs perſpecta. Quod verò ad Avaritiam attinet, quam eidem exprobrant, diu equidem fui in hâc ſententiâ conſtans, neminem meritò Avarum, niſi Injuſtum, eſſe nuncupandum; neminem rectè Avarum dicendum eſſe, qui, dum vixit, ad largitiones et Liberalitatem promptus fuit ac propenſus; illoſque omnes Solos, qui juſtitiam morumque probitatem vilipendunt, aut qui iniquis rationibus lucrum ingens facere haud erubeſcunt, utcunque prodigè rem ſuam profundant familiarem, reverà ſordidos Avarosque eſſe habendos.

Poſt *Cutlerum*, ſuccedunt ordine commemorandi, virtutum ejus liberalium, opumque ampliſſimarum præclariſſimi Hæredes, nempè illuſtriſſimus *Dominus Carolus Bodvile Roberts*, *Comes Radnoriæ*, itemque illuſtris Dominus *Edmundus Boulterus* Armiger, qui, cùm hoc Collegium, ex malâ potiſſimùm *Whiſtleri* Præſidis adminiſtratione, ære alieno pænè obrueretur, ſive innatâ illorum beneficentiâ, ſive ſingulari quâdam humanitate ſortem hujus Societatis adverſam clementer accipientes, ſive etiam clariſſimi *Millingtoni*,

toni tunc Præſidis, cùm prudentiâ, tùm eloquentiâ ſummâ inducti, quinquies mille et quingentas libras Anglicas ſibi jure nuper debitas, Collegio magnificentiſſimè remiſerunt. Sic ſtatum Collegii prorſùs labantem hi magnanimi verèque Nobiles viri reſtituerunt, eundemque inſtaurârunt; memoriâque poſterorum noſtrorum gratiſſimâ ac tenaciſſimâ, quoad Collegium permanebit, ſemper conſervandi ſunt.

Reſtat adhuc ſpeciatim collaudandus Illuſtriſſimus Dominus, *Henricus Pierepoint*, *Marchio Dorceſtrenſis*, qui facultatem Medicam tantâ benevolentiâ proſecutus eſt, ut in Societatem hanc cooptari, Comitiiſque noſtris frequenter adeſſe, quantumcunque Nobilis, non dedignaretur. Doctiſſimus ille *Marchio* Bibliothecam ſuam maximâ librorum copiâ, tàm in Medicâ quàm aliis ſcientiis excellentium, magnoperè inſtruebat, eandemque huic Collegio teſtamento donare diu ſtatuebat; ſed quia inteſtatus repentinò obiit, pretioſiſſimam illam Bibliothecam ex merâ gratiâ ac benevolentiâ voluntariâ Filiæ ſuæ Illuſtriſſimæ ac benigniſſimæ Dominæ, Dominæ *Gratiæ Pierepoint*, poſteâ accepimus.

Sed neſcio quo fato aut conſilio maleſuado, tot Libri egregii apud nos concrediti, perpetuis tenebris tineiſque miſerimè damnantur; ac ſi malus Genius locum in quo conſervantur infeſtaret; aut quaſi viles eſſent vel obſoleti libri; quaſi aer loci noxius, aut ex viciniâ ſceleſtorum peſtiferorum eſſet contagioſus; aut tanquam in aditu Bibliothecæ claudicans Podagra ingreſſum omnibus interdiceret.

An nullum Societatis monitum aut mandatum, an nulla Præſidis Cenſorumque autoritas interponi poteſt, ad obſtacula introitûs neſcio quæ perrumpenda? An *Herculeis* caremus viribus ad Draconem profligandum, ut dulces librorum fructus decerpantur, Pomis

Her-

Heſperidum curâ ſemper vigili cuſtoditis tantò pretioſiores, quantò doctrina cùm *Græca* tùm *Romana Lybicæ* barbariei, quantò Auro coruſcanti ſincera præſtat Sapientia?

Opprobrium meherculè nobis turpe eſt, dignitatemque eruditiſſimæ hujus Societatis nimis lædit, ingenuè fateor, Auditores, quòd tantum depoſitum, aut theſaurum literarium, tanquam nugas, aut res planè inutiles, ità ſupinè negligamus.

Si Bibliothecarius deſit, quid ſi Bibliothecam hanc inſtructiſſimam redderemus interim Collegis Mutuatitiam? quid ſi paginis librorum primis pretium illorum maximum inſcriberetur? quid ſi pauca Catalogi exemplaria in uſum ſingulorum Collegarum imprimerentur? quid ſi Collegarum unuſquiſpiam probatus horam unam aut alteram quâlibet ſeptimanâ impenderet libris diſtribuendis ac recipiendis, pecuniâ numeratâ ad libri cujuſque valorem tunc deponendâ aut retribuendâ? Certè aliqualis tanti theſauri uſus longè præſtat nulli. Uſum, ſi placet, meliorem, re benè perpenſâ, aſſignetis precor.

Tempus poſtulat, ut reliquos noſtros Benefactores præproperè tranſeamus. Nempè *Atkinſius*, *Foxus*, *Readus*, *Pagettus*, *Meverellus*, *Gulielmus Langhamus* Eques Auratus, *Cronus*, *Pamanus*, *Bidgodus*, et *Lawſonus*, omnes Societatis hujus Collegæ, promerentur ſingulatim commemorari. Nec ſine honore ſunt prætereundi *Robertus Viner*, *Joanneſque Banks* Baronetti, atque *Henricus Guy* Armiger, quorum ampla nobis ſuperſunt Munificentiæ teſtimonia.

Vivent hi benefici, magnanimique viri, qui aliis vixerunt non ſibi ſolis; vivent poſt funera diutiſſimè; vivantque gloriâ immortali digniſſimi. Poſt Funera, inquam, vivent; quandoquidem deliciæ omnes inanes, voluptates, opes, faſtus, rerumque umbratilis pompa, ſanè funditùs pereunt; nihilque noſtri poſt nos permanere poteſt, niſi opera bona, laudabilia, ac Benefica; nihil denique rerum humanarum, niſi Æterna Virtus, præclaræque actiones.

FINIS.

FINIS.